



describantur. qui ad cenam uocantur & ueniunt. Pauperes & debiles. Debi-
les dicuntur qui iudicio suo apud semet ipsos infirmi sunt. Nam pau-
peres & quasi fortes sunt: qui positi in paupertate superbi sunt. Cæci
uero sunt: qui nullum ingenii lumen habent. Sed dum motu uiciorum
in membrorum debilitate signantur. profecto liquet quia sicut illi pec-
catores fuerunt qui uocati uenire noluerunt: ita hi quoque pecca-
tores sunt qui inuitantur & ueniunt. **C**laudi quoque sunt: qui rectos
gressus in operatione non habent. Sed peccatores superbi respiciunt
ut peccatores humiles eligantur. **H**os itaque elegit deus quos despiciet
mundus. Quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad semet ipsum.
Is enim qui patrem reliquit & partem substantie quam precepit prodige ex-
pendit. postquam esurire cepit in se reuersus dixit. **Q**uanta mercen-
narii patris mei habundant panibus. **L**onge quippe a se discesserat
quando peccauit. **E**t si non esurisset in semetipsum minime redisset.
Quia postquam terrenis rebus indiguit. tunc cogitare coepit quid
de spiritalibus amisit. **P**auperes ergo & debiles. cæci & claudi uocantur
& ueniunt. quia infirmi quoque atque in hoc mundo despecti. plerumque
tanto celerius uocem dei audiunt: quanto & in hoc mundo non
habent ubi delectentur. **Q**uod bene amalechitarum puer ille
egyptius designat. qui amalechitis predantibus atque currentibus
eger remansit in uia. fame sitique aruit. **Q**uem tamen dauid
inuenit. ei cibum potumque prebuit. **Q**ui ilico conualescens dux
dauid factus est. **C**onuuantes amalechitas repperit. & eos qui se
de uilem reliquerant cum magna fortitudine prostrauit. **A**ma-
lechita quippe populus lambens uocatur. **E**t quid plamben-
tem populum. nisi mentes secularium designantur. que